

exemplum Mosis et Christi. Moses enim frequenter tabernaculum intrabat, et exhibat; intrabat videlicet, ut arcana Dei consideraret: exhibat, ut proximorum infirmitates portare, et Christus ipse per dies concionando, et miracula patrando proximorum salutem vacabat, sed noctes insomnes orando et contemplando ducebat. *Erat enim inquit S. Lucas, pernoctans in oratione Dei* (1). Denique alia multa his similia in cap. ult. ejusdem libri legi possunt.

Porro S. Bernardus, ut Eugenium Papam, suum quondam discipulum serio admoneret, ut non totum se actioni daret, sed quotidie certo tempore se colligeret, ac sancto otio, et cœlesti pabulo fruere, scripsit libros quinque de Consideratione, in quibus non solum exhortatur illum ad assiduam meditationem rerum cœlestium, sed etiam rationem et modum meditando, et meditando ascendendi, et descendendo transformandi se in Deum, per intellectum, et affectum perspicue tradit. Neque admittit excusationem, quam ille obtendere poterat, et quam multi hoc tempore obtinent, nimias videlicet occupationes, quæ pontificale officium comitantur, non relinquere tantum otii, ut meditationi rerum divinarum Prælatum vacare possit, certe enim nemo tenetur externis negotiis ita totum se tradere, ut non relinquat sibi tempus corpus reficiendi cibo, et potu, et captandæ per somnum quietis. Et si corpus hanc refectioem, et quietem juste petit, quanto magis spiritus cibum et somnum suum jure optime petet: neque enim sine hac refectioem recte fungi officio suo in tanta mole maximorum

(1) Luc. VI, 12. — (2) II Cor. XII, 44.

negotiorum ullo modo potest. Porro cibus animæ oratio est, et somnus contemplatio, per quam disponuntur ascensionem in corde, ut videatur Deus deorum in Sion; quomodo in valle lacrymarum videri potest. Scala vero ascensionis in Deum nulla videtur nobis mortalibus patere posse, quam per opera Dei; qui enim singulari Dei dono per aliam viam in Paradisum admissi audierunt arcana Dei, quæ non licet homini loqui, si non ascendisse, sed rapti fuisse dicendi sunt, quod de se B. Paulus aperte confitetur, cum ait: *Raptus sum in paradysum, et audiui arcana verba quæ non licet homini loqui* (2).

Posse autem hominem per opera Dei, id est, per creaturas ascendere ad notitiam et amorem Creatoris, docet liber Sapientia, et Apostolus ad Romanos, et ratio ipsa satis confirmat, cum ex effectis causa efficiens, et ex imagine exemplar cognosci possit: et dubium esse nequeat, res omnes creatas esse opera Dei, et hominem, atque Angelum, non solum opera, sed etiam imagines Dei esse Scriptura sancta nos docet.

Ego igitur his rationibus excitatus, in aliquantula requie a publicis negotiis mihi concessa, et S. Bonaventuræ exemplo admonitus, qui in simili recessu scripsit itinerarium mentis in Deum, tentavi scalam ex creaturarum consideratione conficere, per quam utcumque ad Deum possit ascendi, eam vero quindecim gradibus, distinxit, ad similitudinem quindecim graduum, quibus ascendebatur ad templum Salomonis, et quindecim Psalmorum, qui graduales dicuntur.

## SCALÆ ASCENSIONIS

### IN DEUM

#### GRADUS PRIMUS.

##### *Ex consideratione hominis.*

Si quis vere cupiat scalas in Deum erigere a sui ipsius consideratione incipere debet. Unusquisque enim nostrum et creatura, et imago Dei est; et nihil nobis vicinius est, quam nos ipsi. Itaque non sine causa Moses ait: *Attende tibi*; in quæ duo verba insignem sermonem scripsit magnus Basilius. Qui enim se totum circumspexerit, et quæ intra se latent consideraverit, inveniet quasi compendium mundi totius, unde ad effectorem rerum omnium non difficulter ascendet.

Sed ego in præsentem nihil aliud investigare decrevi, nisi quatuor communes causas, quis sit auctor meus, ex qua materia me fecerit, quam formam mihi dederit, et ad quem finem me produxerit. Nam si quæram auctorem meum, inveniam solum Deum, si quæram materiam unde me fecerit, inveniam omnino nihil, unde colligo quicquid in me est, a Deo factum esse, et totum Dei esse; si quæram formam, inveniam, me esse imaginem Dei, si finem quæram, inveniam ipsum eundem Deum, esse summum et totum hominum meum. Itaque intelligam tantam esse mihi conjunctionem et necessitudinem cum Deo, ut ipse solus mihi sit conditor, ipse auctor, ipse Pater, ipse exemplar, ipse beatitudo, ipse omnia. Et si hoc intellexero, quomodo fieri poterit, ut non ardentissime illum quæram? illum cogitem? illum suspirem? illum videre et complecti desiderem? vel ut non exhorream tam densas tenebras cordis mei, quod tam longo tempore nihil minus cogitavit, aut desideravit, aut quæsit, quam Deum, qui solus mihi est omnia.

Sed paulo diligentius singula considere-

mus. Rogo te, anima mea, quis tibi dedit, ut esses, cum ante non multum tempus nihili esses? certe non te parentes carnis tuæ genuerunt, quia quod natum est ex carne caro est, tu autem spiritus es: neque te cœlum, aut terra, aut sol, vel sidera produxerunt; illa enim corpora sunt, tu incorporea es: neque vero Angeli, aut Archangeli, aut creatura alia spiritualis tibi, ut esses, auctores esse poterunt, quia tu non ex materia aliqua, sed plane ex nihilo creata es: non potest autem nisi Deus omnipotens, ex nihilo aliquid facere. Ille ergo sol sine socio, sine administro, manibus propriis, quæ sunt ejus intelligentia et voluntas, te quando voluit procreavit. Sed fortasse corpus tuum non ipse Deus, sed res create produxerunt: ita ut anima Deum, corpus vero parentes auctores agnoscere debeat; non ita est: sed Deus ipse, quamvis parentes homines ad carnem gignendam, ut infimos administratos ad domum fabricandam adhibeat, tamen ipse Architectus, ipse auctor, ipse verus Pater non solum animæ, sed etiam corporis, atque adeo totius hominis esse et dici voluit. Nam si genitores carnis tuæ, veri auctores et quasi Architecti corporis tui essent, scirent utique quot sint in corpore humano muscoli, quot venæ, quot nervi, quot ossa majora, quot minora, quot humores, quot sinus, et alia id genus multa, quæ omnino ignorant, nisi forte ex anatomica arte didicerint. Præterea cum corpus agrotat, vel membrum arescit, aut præcidit, certe possent illa ipsa arte, quæ primum condiderant, iterum instaurare, si veri auctores essent: quomodo qui horologia componunt, aut domos ædificant, norunt etiam temperare, vel instaurare. At parentes nihil horum valent, aut sciunt. Adde quod conjunctio animæ cum corpore, quæ præcipua pars est effectioem humanæ naturæ, a

nullo fieri potuit, nisi ab artifice potentiae infinitae, qua enim arte conjungi potuit spiritus cum carne, tam arcto vinculo, ut una substantia efficerentur, nisi divina? corpus enim cum spiritu nullam similitudinem, vel proportionem habet. Ergo ille fecit, qui facit mirabilia magna solus.

Verè igitur Spiritus Domini per Moesem loquitur in Deuteronomio: *Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, et fecit, et creavit te?* et per S. Job: *Pelle et carnis vestisti me, ossibus et nervis compegisti me, et per Prophetam regium: Manus tuas fecerunt me, et plasmaverunt me, et rursus: Tu formasti me, et possisti super me manum tuam, et per sapientissimam feminam puerorum Macchabæorum matrem: Nescio quomodo in utero meo apparuisti: neque enim spiritum et animam donavi vobis, et vitam: et singulorum membra non ego ipsi compegi: sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem. Hinc videlicet sapientia Dei Christus Dominus dicebat: *Patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui est in caelis* (1), cuius admonitione S. Augustinus de filio suo Adeodato, quem ex fornicatione genuerat, dicebat Deo: *« Tu bene feceras eum; nam ego in illo puero, propter delictum, nihil habebam. »**

Age nunc anima mea, si Deus auctor tibi corporis et animæ est; si ille tibi Pater, si bajulus, si nutritius; si quicquid es, illius es: si quicquid habes, ab illo habes: et quicquid speras, ab illo speras, cur de tanto parente non gloriaris? cur illum non toto corde diligis? cur propter illum non omnia terrena contemnis? cur sinis tibi dominari cupiditates vanas? Leva oculos tuos ad eum; noli timere, quid faciat tibi hostis tuus super terram, cum Patrem habeas omnipotentem in caelis. Quanta, putas, fiducia, et quanto affectu dicebat David: *Tuus sum ego, salvum me fac* (2)? O si cogitares, anima, quid sit, quod omnipotens et sempiternus Deus, qui honorum tuorum non eget, et si tu peras nihil ipse perdit; tamen oculos suos non avertit a te, et sic amat, sic protegit, sic dirigit, sic fovet, ac si tu esses magnus thesaurus ejus: certe fiduciam totam in illo poneres, timeres ut Dominum, amares ut Patrem, et neque illum esset tam ingens temporale bonum, aut malum, quod te posset ab ejus charitate divellere.

(1) Deut. XXXII, 6; Job. X, 11; Psal. CXVIII, 94. — (2) Gen. I, 7; Ib. III, 19; Ib. XVIII, 31. — (3) Gal. VI, 3.

Veniamus ad materiam, ex qua homo formatus est. Illa quidem vilissima est: sed quo est vilior, eo nobis materiam aptiorem tributi formandi in nobis virtutem humilitatis, qua virtute nulla est in hac vita magis utilis et magis rara, ac per hoc magis pretiosa, et majori desiderio appetenda.

Et sane de materia animæ dubitari non potest, quin sit ipsum nihil quo nihil vilius et inanius fingi, vel cogitari potest. Corporis materia proxima quid est, nisi sanguis menstruus? res adeo fœda, ut refugiant eum oculi cernere, et manus contingere, et horreat etiam animus cogitare. Materia ex qua primus homo formatus fuit, quid aliud, nisi terra rubra et sterilis, sive pulvis et lutum fuit? *Formavit, inquit Scriptura, Deus hominem de limbo terræ*, et iterum dixit homini Deus: *Pulvis es, et in pulverem revertaris*. Quare Patriarcha Abraham memor vilitatis suæ dicebat ad Deum: *Quia semel cepti, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, et cinis* (3). Sed neque hic est finis vilitatis materiae humanae: ipse enim limus, sive pulvis, non ex alia materia, sed ex nihilo prodit. *In principio enim creavit Deus caelum, et terram;* et certe non ex alio caelo et terra, sed ex nihilo fecit: ergo ad nihilum redigitur id, unde prodit animal hoc superbum, quod dicitur homo, sive animam, sive corpus considerare velis. Nihil igitur est in homine, unde gloriarì possit, quasi illud non accepit a Deo. Opera quidem hominum, quaecumque illa sint, sive ex ingenio, sive ex labore procedant, semper aliquid habent ex se, de quo si sensum haberent, contra factorem suum gloriarì possent: siquidem vas aureum, arca lignea, domus eburnea, vel marmorea, si loqui possent, dicerent utique opifex suo: Tibi debeo formam, sed non materiam, et pretiosus est, quod ex me habeo, quam quod a te accipit. Homo vero, qui nihil ex se habet, et ex se nihil omnino est, in nullo gloriarì potest. Et verissime dicit Apostolus: *Qui existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit, et quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti* (4)? Cui consonat S. Cyrilianus, cum ait: *« In nullo gloriantur, quando nostrum nihil est »*. At, inquit, multa præclara opera faciunt homines, ob quæ merito laudantur, ut virtus laudata crescat. Ita est, multa præclara opera faciunt homines, ob

quæ laudari et gloriari possunt, sed in Domino, non in se, sicut scriptum est: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur, et, In Domino laudabitur anima mea* (1). Quæro enim, cum egregium opus homo facit, ex qua materia facit? qua virtute facit? quo dirigente et adjuvante facit? certe ex materia facit, quam Deus, non quam ipse homo creavit, ex ea virtute facit, quam Deus illi dedit, non quam ipse sibi peperit. Et dirigente et adjuvante Deo facit, sine cujus directione et adjutorio nihil boni faceret, multa enim bona facit in homine, sine homine Deus, sed nihil boni facit homo, quod non faciat Deus, ut faciat homo ut habetur in Concilio II. Arausicano. Itaque dignatur Deus ministerium hominis adhibere in rebus bonis faciendis, quæ per se facere posset, ut hinc magis debitorem Deo se fœdatur homo, non ut superbiendo in se, non in Domino gloriatur.

Ergo, anima mea, si sapis, recumbe semper in novissimo loco, noli furari gloriam Dei, nec in modico, nec in maximo, descende ad nihilum tuum quod solum est tuum, et totus mundus in superbiam erigere te non poterit. Sed quoniam hæc pretiosa virtus humilitatis verè de mundo jam pene recesserat, et nec in libris Philosophorum, nec in moribus gentium inveniebatur. Magister humilitatis de caelo venit, et *Cum in forma Dei esset, equalis Patri, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, et humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, et humano generi dixit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (3). Quare, anima mea, si forte erubescis imitari humilitatem hominum, non erubescas imitari humilitatem Dei qui nec fallere, nec falli potest, et *Qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (2).

Sequitur nunc, ut formam consideremus, quæ est tertia causarum. Et quidem quanto materia ex qua factus est homo vilior est, tanto forma quæ homini data est, pretiosior et excellentior invenitur. Omitto formam corporis exterioris, id est, figuram corporis humani, quæ suam habet eminentiam super omnium animantium figuras hæc enim forma non substantialis, sed accidentaria est. Forma igitur hominis substantialis, quæ facit illum esse hominem, et ab animantibus cæteris distinguit, anima est immortalis ratione et libero arbitrio prædita, imago Dei, ad

exemplar summæ divinitatis expressa. Sic enim legitimus dixisse Deum, cum hominem formare vellet: *Faciemus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universæque terræ omnique reptili, quod movetur in terra*. Homo igitur imago Dei est, non ratione corporis, sed ratione spiritus; Deus enim spiritus est, non corpus. « Et ibi est imago Dei, inquit S. Basilius, ubi est id, quod imperat animantibus cæteris »; imperat autem homo bestiis, non per corporis membra, quæ valentiora sunt in multis bestiis, quam in homine, sed per mentem ratione et libero arbitrio præditam. Præest enim homo animantibus cæteris, non per id, quod habet commune cum illis sed per id, quod distinguitur ab illis, et per quod similis factus est Deo.

Ergo nunc, anima mea, mentem ad exemplar tuum, et cogita, omne bonum imaginis in similitudine ad exemplar suum positum esse. Nam si forte deforme sit exemplar, quale diaboli fingi solet, tum etiam bonum imaginis ad exemplar suum deforme apte representare. Itaque deformitas in exemplari deformitas erit, deformitas in imagine pulchritudo erit. Sed si exemplar quoque sit formosum, pretiosissima erit imago, si pulchritudinem exemplaris pulchritudine sua, quam maxime fieri poterit imitetur: et si imago sensum haberet, nihil magis optaret, quam perpetuo exemplar suum aspicere, et ad illius imitationem se componere, et illi quam simillima fieri.

Exemplar tuum, o anima, Deus est, pulchritudo infinita, *Lux, in qua tenebræ non sunt ullæ*: cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, ac ut facilius pulchritudinem tanti exemplaris imitari, illiusque similitudinem concupiscere, ut modis omnibus procurare valeas, in qua re tota perfectio tua, tota utilitas, totus honor, totum gaudium, tota quies, totum denique bonum tuum positum est: cogita pulchritudinem Dei exemplaris tui, in sapientia et sanctitate consistere. Quomodo enim pulchritudo corporis ex proportionem membrorum et coloris suavitate consurgit: sic in substantia spiritali, coloris suavitas lux sapientiae est, membrorum proportio justitia est: sed per justitiam non virtus aliqua particularis, sed illa universalis intelligitur quæ virtutes omnes continet. Ille igitur spiritus pulcherrimus est, cujus mens

(1) I Cor. I, 31. — (2) Psalm. II, 6; Matth. XI, 29; I Pet. V, 5.

lucē sapientiæ fulget, et cuius voluntas perfectæ iustitiæ plenitudine pollet. Deus autem tuum, inquam, exemplar, o anima, ipsa sapientia ipsa iustitia est, ac per hoc ipsa pulchritudo est. Et quoniam utrumque bonum in mine sanctitatis in Scripturis significatur, ideo apud Isaiam Angeli Deo acclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, et ipse Deus ad imagines suas clamat: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester*, et in Evangelio Dominus: *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est* (1).

Ergo si cupis, anima, ut vera imago Dei, exemplari tuo quam simillima fieri, oportet te sapientiam et iustitiam præ omnibus rebus amare. Sapientia vera est iudicare de rebus omnibus secundum altissimam causam, altissima causa est voluntas divina, sive lex, quæ voluntatem Dei hominibus manifestat. Itaque si sapientiam amas, oportet te in rebus omnibus non audire quid lex carnis dicet, quid sensus dicent esse bonum, quid mundus probet, quid cognati suadeant, ac nullo minus, quid adulatores proponant: sed obsurdescas his omnibus, et solum attendas ad voluntatem Domini Dei tui; atque illud utile, gloriosum, appetibile, bonum denique omni ex parte tibi esse iudices, quod est conforma voluntati ac legi Dei. Hæc est sapientia Sanctorum, de qua scripsit Sapiens: *Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa* (2).

Porro iustitia, quæ altera pars est pulchritudinis spiritualis, omnes quidem virtutes complectitur, quæ voluntatem ornant, et perficiunt, sed præcipue charitatem, quæ mater et radix est omnium virtutum, et de qua S. Augustinus in libr. de nat. et gratia extremo ita loquitur: « Inchoata charitas, inchoata iustitia est: propecta charitas, propecta iustitia est: perfecta charitas, perfecta iustitia est »: nam *Qui diligit, legem implevit*; quia *Dilectio malum non operatur* et ideo *Plenitudo legis est dilectio*, ut docuit Apostolus, et contra, *Qui servat verbum ejus*, id est, mandata ejus, *Vere in hoc charitas Dei perfecta est*, ut loquitur S. Joannes. Qui ergo volunt exemplari divino similes fieri, obedire debent dicenti: *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambu-*

*late in dilectione* (3). Filius enim imago est Patris, et imaginis totum bonum, ut supra diximus, est suo exemplari esse simillimum.

O si hæc plane intelligeres, anima, et exemplari tuo per veræ sapientiæ, veræque iustitiæ pulchritudinem similis effecta, placeres oculis summi Regis, quanta pace fruereris? quo gaudio exultares? quam facile omnia mundi oblectamenta contemneres? contra vero, si cogitares, quam vehementer indignetur Deus, cum videt, imaginem suam destitutam luce sapientiæ, et decore iustitiæ, inquinari, fedari, obscurari, et hominem in tanto honore positum, ut similis esset Deo, *Comparari nunc juvenentis insipientibus, et similem illis factum esse, certe horreret, et contremiscesceret, nec posses ullo modo quiescere, donec fluminibus lacrymarum ex amarissima contritione manantibus maculas omnes abstergeres, et ad similitudinem pulcherrimi exemplaris tui redires. Sed quia interim dum peregrinaris a Domino, Et per fidem ambulas, et non per speciem, indiges continuo ipsius Domini adjutorio, tum ut in similitudine jam acquisita permanas, tum ut quotidie similior, id est, formosior, lucidiorque reddaris, ingemisce ex toto corde ad Deum, eique dicito: O Domine sancte, et misericordissime, cui placuit hanc animam meam, imaginem tuam facere, perfice, quæso te, imaguiculam tuam, adauge sapientiam, adauge iustitiam, absconde eam in abscondito tabernaculi tui, ut neque luto carnalis concupiscentiæ, neque fumo secularis honoris, neque pulvere terrenarum cogitationum fedari valeat; atque hactenus de forma.*

Restat ultima causa, quæ finis dicitur. Porro finis, ad quem creatus est homo, non alius est, quam ipse idem Deus. Sed quia duplex est finis, alter intrinsecus, alter extrinsecus, utrumque seorsim breviter consideremus. Finis intrinsecus uniuscujusque rei est status perfectus, ad quem res illa pervenire potest. Finis intrinsecus palatii est ipsum complementum, et perfectio ipsa palatii: tunc enim finitum esse dicitur, cum nihil ei deest eorum, quæ palatii structura requirit. Finis intrinsecus arboris est status perfectus, quem ejus natura requirit: tunc enim finem suum attingisse dici potest arbor, cum ramos extendit, et folia produxit, et floribus ornata est, ac paulo post pomis,

isique maturis aperta cernitur. Homo igitur, qui ad finem celissimum creatus est, tunc finem suum consecutus dici poterit, cum mens ejus Deum videbit, sicuti est, quam visionem scientia rerum omnium consequetur, et voluntas ipso summo bono ardentissime amato et desiderato fruetur, et corpus immortalitate, et impassibilitate, aliisque dotibus gloriosis præditum perpetua pace et lætitia potietur. Et quoniam essentia hujus finalis beatitudinis est visio Dei, per quam imagines Dei nos, inquam, ipsi ad perfectum statum, perfectamque similitudinem cum exemplari nostro divino pervenimus; ideo scribit B. Joannes: *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus enim, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (1).

O si posses, anima, cogitare quid hoc sit, *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*; quam cito nebula omnes terrenarum cupiditatum dissiparentur. Deus beatissimus est, et ideo beatissimus, quia semper videt seipsum, sicuti est, sequē ipso summo bono clarissime viso, et ardentissime amato sine ulla cessatione ab ipsa æternitate fruitur. Hoc inestimabili bono, te quoque cum Angelis sanctis participem esse voluit. Ad hunc finem sublimissimum et celissimum te creavit. Hoc significat illud: *Intra in gaudium Domini tui*, id est, sis particeps gaudii, quo Deus ipse gaudet, et illud: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (2), id est, participes vos faciam regni mei, et regniæ mensæ meæ, ut fruamini illo honore, illa potestate, et illa voluptate, qua fruor ego, et qua fruitur Pater meus Deus. Et quis cogitare potest, quantus sit honor, quanta potestas, quanta voluptas, quanta felicitas Regis omnium regum, et Domini omnium dominorum, Domini Dei nostri? Certe qui ad hanc tantam finem nostri altitudinem cogitatione speque conscenderet, erubesceret omnino de terræ possessione litigare, vel ob quamcumque jacturam temporalium rerum affligi, vel de lucris temporalibus gaudere; erubesceret, inquam, inhære voluptatibus, quibus inhiant pecora, qui factus est comes Angelorum, et particeps amicitia Dei, et inestimabilium bonorum ejus: quoniam amicorum omnia sunt communia.

Jam vero finis extrinsecus uniuscujusque rei est ille, cuius gratia res facta est. Finis palatii, habitator ejus: finis arboris, possessor ejus: finis hominis, solus Dominus Deus ejus; ipse enim hominem fecit, de suo fecit, pro se fecit, ipse conservat, ipse pascit, ipse stipendium solvit. Itaque merito jubet; ac dicit: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (3). Sed attende anima diligenter, res cæteræ, quæ propter hominem factæ sunt, ipsi homini utiles sunt, non sibi; homini laborant jumenta, non sibi; hominis cellam, et horreum, et marsupium implent agri, vineæ, horti, non suum: denique servorum est labor, et sudor, et fatigatio; domini autem lucrum, et quies, et voluptas. At Dominus Deus tuus, qui nulla re indiget, servire quidem sibi vult hominem, sed utilitatem, et lucrum, et præmium servientis hominis esse vult, non suum.

O Domine suavis, et mitis, et multa misericordiae, quis non toto corde serviat tibi, si dulcedinem paterni domini tui, vel modicum degustare incipiat? quid jubes, Domine servis tuis? Tollite, inquis, jugum meum super vos, et quæ est jugum tuum? *Jugum*, inquit, *meum suave est, et onus meum leve*. Quis non libentissime ferat jugum quod non premit, sed fovet, et onus quod non gravat, sed reficit? merito igitur addisti: *Et invenietis requiem animabus vestris*. Et quod est jugum tuum, quod non fatigat, sed requiem affert? nempe mandatum illud primum, et maximum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Quid enim facilius, suavius, dulcius, quam diligere bonitatem, et pulchritudinem, et amorem, quod totum es tu, Domine Deus meus? Recte judicavit servus tuus David, qui mandata tua esse censuit, *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum, et addidit: Et in custodiendis illis retributio multa*. Quid est hoc, Domine? etiamne præmium polliceris custodiendis mandata desiderabilia super aurum multum, et dulciora super mellis favum? Ita omnino præmium, et præmium amplissimum polliceris, dicente Apostolo tuo Jacobo: *Coronam vitam præparavit Dominus diligentibus se* (4). Et quid est corona vitæ? nempe majus bonum, quam vel cogitare, vel desiderare possimus. Sic enim loquitur B. Paulus ex Isaia: *Jugum*

(1) I Joan. VI, 3. — (2) Mar. XXV, 29; Luc. XXII, 21. — (3) Luc. IV, 8. — (4) Matth. XI, 29; I Jo. XI, 22; Psal. XVIII, 11.

(1) Isai VI, 3; Id. XCH, 43; Matth. V, 48. — (2) Sap. VII, 10. — (3) I Rom. XIII, 10; I Joan. IV, 12; Ephes. V, 1.

non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum (1). Vere igitur in custodiendis mandatis tuis est retributio multa. Nec solum mandatum illud primum et maximum utile est homini obedienti, non Deo jubentis sed etiam cætera mandata Dei, obedientem perficiunt, ornant, erudiunt, illustrant, bonum denique ac beatum reddunt. Quare si sapias intellige te ad gloriam Dei, et salutem tuam æternam esse creatum, hunc esse finem tuum, hoc centrum animæ tuæ, hunc thesaurum cordis tui. Ad hunc finem si perveneris, beatus eris; si ab illo excideris, miser eris. Proinde illud tibi vere bonum existimes, quod ad finem tuum perducit: illud vere malum, quod ad finem te facit excidere. Prospera et adversa, opes et inopia, sanitas et agrotatio, honores et ignominia, vita et mors apud sapientem, nec per se expectanda, nec per se fugienda sunt. Sed si conferunt ad gloriam Dei, et sempiternam felicitatem tuam, bona sunt, et expectanda: si eandem impediunt, mala sunt, et fugienda.

#### GRADUS SECUNDUS.

##### *Ex consideratione majoris mundi.*

Scalæ ascensionis in Deum gradum primum construximus ex consideratione hominis, qui dicitur mundus minor: nunc secundum gradum superstruere consilium est ex consideratione molis hujus maxime, quæ major mundus dici solet. Scribit quidem S. Gregorius Nazianzenus in secunda oratione de Pascha, Deum constituisse hominem, quasi mundum magnum in parvo, quod est verum, si a mundo segregemus Angelos; est enim homo major toto mundo corporato, non mole, sed virtute: sed si in mundo comprehendantur Angeli, ut nos hoc loco comprehendimus, parvus mundus est homo in mundo majore constitutus. In hoc igitur magno mundo, qui rerum universitatem complectitur, multa sunt plane admirabilia, sed hæc potissimum magnitudo, multitudo, varietas, efficacitas, et venustas. Quæ omnia, si Deo illuminante, attentissime cogitentur, non parvam vim habent, ad animam sic elevandam, ut in admiratione immensæ ejusdem magnitudinis, et multitu-

dinis, et varietatis, et efficacitatis, et pulchritudinis quasi deficiat: et ad se reversa quicquid extra Deum videt, quasi nihilum et inane despiciat.

Magnus certe est orbis terrarum, et adeo magnus, ut Ecclesiasticus dicat: *Latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est* (2)? et hoc ipsum etiam ex eo potest intelligi, quod in tot millibus annorum, qui fluxerunt ab orbe condito, nondum tota superficies terræ (hanc enim latitudinem terræ vocat Ecclesiasticus) nostris hominibus, eam assidue inquirentibus, innoverit. Et quanta, quæso, est moles terræ, si ad cœli supremi ambitum comparatur? Instar puncti dicitur ab Astrologis, nec immerito. Videmus enim solares radios, per interpositam terram, ita pertingere ad stellas firmamenti oppositas, ac si terra nihil omnino esset. Et si stella quælibet firmamenti, major est toto orbe terrarum, ut sapientum communis opinio est, et tamen nobis, ob infinitam prope distantiam stellæ illæ minutissimæ videntur, quis cogitando assequi poterit amplitudinem cœli, ubi tot millia stellarum lucent? ergo si de superficie et profunditate terræ Ecclesiasticus dixit: *Latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est?* quid, quæso, de superficie exteriore cœli, et de profundo mundi totius a summo cœlo usque ad inferos diceret? Omnino tanta est moles corporalis mundi hujus, ut nulla mens, nulla cogitatio eam assequi possit. Age nunc, anima mea, interrogo te, si tantus est mundus, quantus est, qui fecit mundum? Magnus Dominus, et magnitudinis ejus non est finis. Audi Isaiam: *Quis mensus est pugillo aquas, et cælos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ* (3)? Ubi S. Hieronymus, ex versione Aquilæ, per pugillum dicit, intelligi minimum digitum, ut sit hæc sententia: Aquam totam, quæ minor est, quam terra, uno digitulo Dei mensurari, molem terræ, tribus digitis, cœlum, quod majus est terra et aqua simul junctis, palmo ponderari. Atque hæc quidem metaphorica sunt, cum spiritus sit Deus, et nec digitos, nec palmos proprie habeat: sed Scriptura tamen his comparationibus satis ostendit, multo majorem esse Deum, quam sit creatura ejus, quod magis expresso significavit Salomon, cum ait: *Cælum et cali colorum non te capiunt* (4). Quod

(1) I Cor. IV, 8. — (2) Eccl. V, 4. — (3) Isa. XL, 12. — (4) II Par. VI, 18.

ideo verum est, quia si mundus alius crearetur, illum quoque repletet Deus, et si plures mundi, vel etiam infiniti fierent mundi, illos omnes Deus impleret. Neque existimes, anima mea, Deum tuum sic implere mundum, ut pars Dei sit in parte mundi, et totus in toto mundo. Deus enim partes non habet, sed totus est in toto mundo, et totus in quælibet parte mundi. Proinde ubique præsens est cum omnipotentia et sapientia sua. Ideoque si fidelis illi fueris, etiamsi consistant adversus te castra, non timebit cor tuum; quid enim timeat, qui apud se habet patrem, amicum, sponsum omnipotentem, et omnia videntem, et ardentissime amantem? Sed si merito culpæ tuæ iratum habeas Deum judicem, et inimicum omnipotentem, et omnia videntem, et peccata implacabili odio detestantem, tum vero jure timere debes timere horribili, et nullam requiem dare oculis tuis, nec pedibus tuis, nisi Deo placato per veram poenitentiam respiraveris in luce miserationum ejus.

Jam vero multitudinem rerum creaturarum ab uno Deo conditore cœli et terræ quis enumerabit? *Arenas maris, et pluvias guttas*, inquit Ecclesiasticus, *quis diminueravit* (1)? Sed omissis rebus istis minutissimis, quot sunt intra terram et maria metalla auri et argenti, æris et plumbi, et lapides pretiosi, ac gemmæ, et margaritæ? Quot supra terram genera, et species, et individua herbarum, fructuum, plantarum? et quot in singulis partes? quot etiam genera, species, et individua animalium perfectorum, imperfectorum, quadrupedum, reptilium, volatilium? quot in mari genera, species, individua piscium? quis enumeret? quid de multitudine generis humani, de quo scriptum est: *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*? quot denique sunt in cœlo sidera? quot supra cœlum Angeli? nam de stellis in veracissima Scriptura legitur: *Numera stellas, si potes*. Et alibi comparat multitudinem stellarum cum multitudine arenæ maris, quod satis constat esse innumerabilem. De Angelis vero scribit Daniel: *Millia millium ministrabant ei, et decies milia centena milia assistebant ei* (2). Et S. Thomas cum S. Dionysio affirmat, Angelorum multitudinem tantam esse, ut rerum omnium materialium multitudinem superet

Hæc igitur prope infinita rerum multitudo ab uno Deo omnipotente condita, demonstrat in ipsa divina essentia esse perfectiones omnino infinitas. Voluit enim Deus ab homine per creaturas suas utcumque cognosci, et quia non poterat illa creatura, infinitam creatoris perfectionem apte repræsentare, creaturas multiplicavit, et singulis bonitatem et perfectionem aliquam tribuit, ut inde judicium fieret de bonitate et perfectione creatoris, qui infinitas perfectiones sub unius simplicissima essentia perfectione complectitur ad eum fore modum quo numerus aureus continet valorem multorum numerorum aureorum. Ergo, anima mea, quicquid oculis aut cogitationi occurrit, quod admirabile videatur, scala tibi sit ad perfectionem conditoris agnoscendam, quæ sine ulla comparatione major et mirabilior est; ita fiet, ut res creatæ, *Quæ factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium* (3), ut Sapientia docet, non te decipiant, sed erudiant, nec te dejiciant, sed gradum tibi ad meliora faciant. Itaque si aurum, vel argentum, vel lapides pretiosi occurrant; dicas in corde tuo: pretiosior est Deus meus, qui se mihi daturum promisit, si ista contempsero; si regna, si imperia terrena miraris; dicas in corde tuo: quanto præstantius est regnum cœlorum, quod in æternum manet, et quod promisit diligentibus se, qui non mentitur Deus? si voluptates et delicia carnalem sensum titillare incipiant; dicas in corde tuo: multo jucundior est voluptas spiritus, quam voluptas carnis, et delicia mentis, quam ventris; istas enim præbet creatura mortalis, illas Deus totius consolationis, quas qui gustat dicere potest cum Apostolo: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Denique si quid pulchrum, novum, insolitum, magnum, mirabile offeratur, modo discedas a Domino Deo tuo; responde secure, quidquid est in illis boni, et multo plura, et meliora in Domino tuo sine dubitatione reperiri: ideo non esse tibi utile nummum æreum pro auro, vitrum pro gemma pretiosa, parva pro magnis, certa pro dubiis, et sempiterna pro temporalibus commutare.

Sed quamquam admirabilis sit multitudo rerum creaturarum, et multiplex unius Dei perfectionem arguat: multo tamen admira-

(1) Eccl. I, 2. — (2) Psal. II, 19; Gen. XV, 5; Dan. VII, 12. — (3) Sap. XIV, 11. — (4) II Cor. VII, 4.

lilior est varietas rerum, quae in illa multiplicatione cernitur, et facilius ad Dei cognitionem ducit, non enim difficile est, uno sigillo multas figuras omnino similes exprimere: nec iisdem typis innumerabiles litteras excludere, sed variare formas infinitis prope modis, quod Deus fecit in creatione rerum, hoc plane divinum est opus, et admiratione dignissimum. Omitto genera et species rerum, quas constat esse maxime varias atque diversas. In ipsis individuis herbarum, plantarum, florum, fructuum quanta varietas inest? figurae, colores, odores, saporibus nonne infinitis modis propemodum variantur? nonne idem omnino in animantibus cernitur? sed quid de hominibus dicam, cum in exercitu numerosissimo vix inveniantur duo homines omnino similes? quod ipsum etiam in stellis et Angelis invenitur: nam et *Stella stella differt in claritatem* (1), ut Apostolus testatur, et S. Thom. affirmit Angelos, quamvis sint in majore numero, quam res corporales, tamen omnes inter se, non solum individuali numero, sed etiam specifica forma differre.

Ergo nunc, anima mea, oculos mentis ad Deum in quo sunt rationes omnium rerum, et unde tanquam ex fonte infinitae ubertatis manavit illa pene infinita varietas, neque enim Deus innumerabiles istas rerum formas in rebus creatis potuisset imprimere, nisi in sinu essentiae suae rationes earum modo eminentissimo et altissimo contineret. Merito igitur exclamat Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei* (2). Vere enim puteus est infinitae profunditatis, in quo latent thesauri divitiarum, sapientiae, et scientiae, quae tantam rerum varietatem parere potuit. Merito quoque S. Franciscus divino lumine illustratus dicebat Domino: «Deus meus et omnia», quoniam varia bona, quae in rebus creatis inventiuntur sparsa atque divisa, in uno Deo inventiuntur modo quodam meliore et altiore collecta. Sed dic, anima: Ista quidem vera esse videntur; sed bona creata videmus oculis, manibus tangimus, ore gustamus, re ipsa possidemus, illis quae fruimur: Deum non videmus, non tangimus, non gustamus, non possidemus, et vix cogitatione, quasi rem longissime positam apprehendimus. Itaque non esse mirum, si res create nos magis afficiant, quam Deus. Sed si fides in te viget, et vigilat,

anima mea, negare non potes, quin post hanc vitam, quae fugit velut umbra, si in fide, et spe, et dilectione permanseris, Deum ipsum vere clareque visura sis, ut est in se, et illum possessura, illoque fruitura longe melius et intimius, quam rebus creatis nunc fruaris. Audi dominum ipsum: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Audi Apostolum Paulum: *Nunc videmus per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem*. Audi B. Joannem: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Deinde quanta, rogo te, pars mundi hujus ad te pertinet? certe nec totus mundus, nec pars media, aut tertia, aut quarta, sed vix particula quaedam te contingit, eamque post breve tempus velis nolis dimittere cogeres. At Deum, in quo sunt omnia, totum possidebis, et in aeternum possidebis: erit enim *Deus omnia in omnibus* sanctis et beatis sine ulla fine. Ille erit tibi vita, cibum, vestis, domus, honor, divitiæ, delectatio, et omnia. Adde quod Deus tuus suavis et miles, non jubet, ut dum in terris peregrinaris, solatio creaturarum penitus careas, imo ut tibi servant, omnia condidit. Sed hoc jubet, ut illis utaris moderate, sobrie, temperanter: et cum egentibus hilariter communices, et non tibi dimonerit, sed tu eis domineris, illisque utaris ad promerendum Deum. Ergo attentissime cogita, an non sit tibi utilis et in hac vita rebus creatis non carere, qua parte necessariae sunt, et in altera Creatore ipso, in quo (ut saepe dixi) omnia sunt, in sempiternum frui: an vero in hac vita in acquisitione temporalium rerum vehementissime laborare, et nunquam earum copia satiari, et in altera temporalibus omnibus bonis repente destitui, et ad aeterna bona nunquam pervenire. Adde denique, Deum non ita longe abesse a dilectoribus suis, ut non etiam in hac vita delectationes magnas illis tribuat, et majores; quam dilectores mundi in rebus creatis inveniant. Non enim fas scriptum est: *Memor fui et delectatus sum, et Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*: *Ego vero delectabor in Domino, et Lati-fica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi*. Ac ut omittam cetera, cum Apostolus ait: *Repletus sum consolatio-ne, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Certe non significat ex tribulatione nasci consolationem, et ex dolore gau-

dium, non enim producent spinæ uvas, aut tribuli ficus: sed significat, ad leniendas tribulationes a Deo superinfundi amicis suis tam puras, et liquidas, et solidas consolationes, ut cum eis temporalia gaudia comparari nullo modo possint. Illa igitur, anima, sit apud te firma conclusio: qui invenit Deum, invenit omnia: qui perdit Deum, perdit omnia.

Sequitur nunc, ut ex virtute, quam Deus rebus creatis attribuit, ad infinitam Creatoris virtutem intelligendam ascendamus. Nulla omnino res est, quæ admirabilem virtutem, sive potentiam, sive efficacitatem non habeat. Terra, sive lapis terreus, si ab alto descendat, quo impetu ruit? quid non frangit? quid ei resisit? cum vellet Spiritus sanctus in Apocalypsi describere impetum maximum, quo Babylon magna, id est, universitas impiorum, in die iudicii in profundum abyssi præcipitabitur, sic ait: *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur* (1). Aqua vero, quæ mollis et blanda leniter fluit super faciem terræ, quando irascitur et intumescit in fluminibus, vel torrentibus, obvia quæque prostermit, et destruit; nec solum casas rusticorum sed etiam portas et mœnia civitatum, et pontes marmoreos diruisse vidimus. Porro venti, qui aliquando suavissime spirant, naves maximas ad scopulos allidunt, et annosæ quercus eradicaat, et evertunt. Vidi ego quod nisi vidissem non crederem, a vehementissimo vento effossam ingentem terræ molem, eamque delatam super pagum quemdam: et fovea altissima conspiceretur, unde terra eruta fuerat, et pagus lotus coopertus et quasi sepultus manserit, ad quem terra illa devenerat. Quid de igne dicemus? qua velocitate modicus ignis crescit in flammam tantam ut domos et sylvas quasi momento temporis devoret, et consumat? *Ecce, inquit S. Jacobus, Quantum ignis, quam magnam syleam incendit* (2). In herbis quam multiplices latent virtutes? In lapidibus, ac præsertim magnetæ et succino, quam admirabilis virtus cernitur? Porro in animalibus alia robustissima esse videmus, ut leones, ursos, tauros, elephantes; alia ingeniosissima, quamvis minutissima, ut formicas, araneas,

apes, myrmicaleonem. Omitto potentiam Angelorum, virtutem solis, et stellarum, quae procul a nobis absunt, quale tandem est ingenium hominum, quo tot artes inventae sunt, ut saepe dubitemus, utrum arti natura, an potius ars natura palmam concedat?

Attolle nunc, anima, oculos mentis ad Deum, et cogita quanta virtus, quanta efficacitas, quanta potentia in Domino Deo tuo sit, cui a veracissima Scriptura dicitur: *Quis similis tui in fortibus, Domine?* et: *Qui facit mirabilia magna solus, et: Beatus, et solus potens, Rex regnum, et Dominus dominationum* (3). Quicquid enim virium res creatae habent a Deo habent: et tandiu habent, quamdiu placet Deo, ut habeant, Quis enim fecit, ut Jonæ in ventre ceti concluso, neque maris aquæ, neque dentes ceti nocerent, nisi Deus? Quis conclusit ora leonum famelicorum, ut Daniele non attingerent, nisi Deus? Quis tres pueros in camino ignis ardentis illæos servavit, nisi Deus? quis dixit vento furenti, et mari insanienti: *Tace, obmutescere, et subito facta est tranquillitas magna*, nisi Christus verus Deus? Ipse autem Deus, qui non habet ab alio virtutem et potentiam, sed ejus voluntas potentia est, et potentia qui nihil resistere potest; ipse infinitam potentiam habet, et semper habet, et ubique habet. Et omnis hominum potestas, cum Dei potestate comparata, non parva et exigua, sed nulla omnino est, sic enim loquitur Isaias: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei* (4). Nonne igitur stulti sunt, qui timent res creatas et Deum omnipotentem non timent? Et qui confidunt in virtute sua, aut amicorum suorum, et in Deo omnipotente non fidunt? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et si Deus contra nos, quis erit pro nobis?

Ergo anima mea, si sapis, *Humilitate sub potenti manu Dei*, inhære illi per veram pietatem et non timebis quid faciat tibi homo, vel demon vel creatura alia. Sed si forte a pietate excidisti, et Deum tuum ad iracundiam provocasti, non des requiem temporibus tuis, donec invenias pacem a Domino tuo: nimis enim *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (5).

Restat ut pulchritudinem rerum creatarum inspiciamus, de qua dixit Propheta: *Delectasti me, Domine, in factura tua* (6). Et certe,

(1) Apoc. XII, 21. — (2) Jac. III, 5. — (3) Psalm. CXXXV, 40. — (4) Math. IV, 9; Isai. XLIII, 17. — (5) I Pet. V, 6; Heb. X, 34. — (6) Psal. LXI, 5.

(1) I Cor. XV, 41. — (2) Rom. XI, 33.

quæ fecit Deus, ut bona sunt omnia, sic etiam pulchra sunt omnia, si recte considerentur. Sed omissis aliis, consideremus ea, quæ omnium iudicio et approbatione sunt pulchra. Certe magna est pulchritudo virentis prati horti bene culti, amenissimæ sylvæ, maris tranquillæ, sereni aeris, fontium, fluviorum, urbium, cæli micantis, atque innumerabilibus stellis, quasi gemmis distincti. Deinde quam delectat pulchritudo arboris floribus vestitæ, vel pomis onustæ? quadrupedum variorum formæ, avium volatus, piscium lusus? quid dicam de pulchritudine stellarum, et lunæ, ac potissimum de jubare illo solis maximo et clarissimo, quod ex ortu suo mundum exhilarat universum? Sed homines, ad quos potissimum loquimur, nihil magis qua sua ipsorum venustas speciesque delectat. *Propter speciem mulierum multi perierunt* (1), inquit Ecclesiasticus. Vidimus sæpe, et doluimus, viros aliqui sapientissimos, feminarum venustate tanto amore captos; et contra etiam feminas honoratas ad eam insaniam redactas ob virorum pulchritudinem, ut rem familiarem, et dignitatem, ac filios, ac parentes, et etiam vitam ipsam, addo etiam æternam salutem amori hominum formosorum posthabuerint? Nota sunt quæ de Davide, Salomone, Sampson in Scripturis sanctis leguntur, plene sunt historiæ similium exemplorum.

Ergo, anima mea, si tanta est pulchritudo in res creatas a conditore Deo effusa, quanta putas, et quam admirabilis est pulchritudo pulcherrimi conditoris? nemo enim dare potest, quod non habet et si solis ac stellarum specie delectati homines luminosa illa corpora *Deos putaverunt*, inquit Sapiens, *sciunt quanto dominator eorum speciosior est, specie enim generator hæc omnia constituit* (2). Quanta autem si pulchritudo Dei, non solum certo cognoscitur ex eo, quod omnium creaturarum pulchritudo eminentiore modo in ipso collecta reperitur: sed etiam ex eo, quod cum invisibilis sit nobis, dum ab ipso peregrinamur, et solum per fidem Scripturarum, et in speculo creaturarum, utcumque cognoscatur, multi tamen Sanctorum ita exarserant in amorem ejus, ut alii in deserta loca se abdidissent, et soli contemplationi ipsius vacare voluerint, ut S. Maria Magdalena, Paulus primus Eremita, magnus Antonius et alii sine numero, de quibus Theodoretus in

historia religiosa consuli potest. Alii conjuges, et liberos, et quicquid in terris possidebant deserentes, in monasteriis ad aliorum nutum vivere voluerunt, ut Dei amicitia fruerentur. Alii vitam ipsam cum acerbissimo dolore libenter exponere desideraverunt, ut ad visionem infinitæ illius pulchritudinis pertingere mererentur. Audi unum ex illis, sanctum videlicet Ignatium Martyrem in epist. ad Rom.: « Ignis, crux, bestia, contractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta Diaboli in me veniant, tantum Christo fruar. » Si ergo pulchritudo divina, nondum visa, sed solum credita et sperata, tantum ignem desiderii excitat, quid faciet, cum remoto velo, ut est in se, conspicietur? Omnino id faciet, ut *Torrente voluptatis illius inebriati*, neque velimus, neque possimus, vel ad punctum temporis oculos ab ea divertere. Et quid mirum si Angeli et anime beatæ semper videlicet faciem Patris, qui est in celo, nec visio illa tædium, vel satietatem ullam pariat, cum ipse Deus ab æternitate pulchritudinem suam semper aspiciens in ea penitus acquiescat, et ex ea visione beatus, nihil aliud velit, et quasi in cellam vinariam, et in hortum omnium deliciarum ingressus, nunquam inde exierit, neque in æternum sit exiturus. Hanc pulchritudinem quære, anima mea, ad eam suspiria die ac nocte, dicas cum Propheta: *Sitioit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* dicas cum Apostolo: *Audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et presentes esse ad Dominum* (3). Neque timeas ex vehementi amore pulchritudinis illius inquinari; amor enim divine pulchritudinis perficit corda, non inficit; sanctificat, non inquinat: Vere dicebat Sanctissima Virgo et Martyr Agnes: Amo Christum, cujus Mater Virgo est, cuius Pater feminam nescit, quem cum amavero casta sum, cum tetigero munda sum, cum accipero virgo sum. Sed si vere Domini tui incretam speciem concupiscis, oportet te implere quod Apostolus eo loco subjungit. *Ideo, inquit, contendimus sive absentes, sive presentes placere illi* (4). Si placet tibi Deus, debes et tu placere Deo. Et quidem in regione vivorum, cum presentes erimus, illuminati fulgore ejus, sine dubitatione Deo placebimus, sicut Propheta canit: *Placebo Domino in regione*

*eborum*. Sed in hac peregrinatione tam facile sordescimus, et inquinamur luto peccati, ut Apostolus Jacobus dixerit: *In multis offendimus omnes* (1), et Propheta David, ut ostenderet, quam rari sint immaculati in via, ad beatitudinem hoc pertinere pronuntiaverit, dicens: *Beati immaculati in via*. Ergo si cupis, anima, etiam in absentia et peregrinatione placere dilecto, non satis est velle placere, sed oportet, ut Apostolus loquitur, contendere placere, id est, assiduo magnoque labore cavere maculas, quæ fœdam reddunt faciem animæ; et si quæ inhæserint, non minori studio et labore contendere illas abstergere. Nonne vides mulierculas, quæ cupiunt placere viris suis, quot horas consumunt in componendis capillis, et poliendo vultu, et maculis vestium abstergendis: ut placeant oculis viri mortalis, qui paulo post in lutum et cineres converti debet, quid igitur te facere oportet, ut placeas oculis sponsi immortalis, et qui semper te videt, qui sine macula et ruga te invenire desiderat? certe totis viribus contendere te necesse est: *Ut in sanctitate et justitia coram ipso ambules, et omnia, quæ veram sanctitatem veramque justitiam impediunt, strenue removeas, vel amputes; neque respicias carnem et sanguinem, neque attendas ad sermones et judicia hominum, non enim simul placere potest Deo, et mundo, dicente Apostolo: Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (2), etc.

## GRADUS TERTIUS.

*Ex consideratione orbis terræ.*

Consideravimus mundum corporalem in universum: nunc partes ejus principales considerare aggredimur, ut ex iis sculam nobis ad contemplandum opificem, qualem possumus, offeramus.

Prima se offert terra, quæ quamvis infimum locum teneat, et minor ceteris elementis esse videatur: tamen revera non est minor, quam aqua, et dignitate ac pretio superat elementa omnia. Hinc enim in Scripturis sanctis passim legimus, Deum fecisse celum et terram, quasi partes mundi præcipuas, quibus cætera serviant; celum enim fecit, quasi palatium Dei et Angelorum; terram, quasi palatium hominum. *Cælum*

*cæli Domino*, inquit Propheta, *terram autem dedit filiis hominum* (3). Atque ea causa est, cur celum plenum sit stellis fulgentibus, et terra abundet immensis divitiis metallorum, lapidum pretiosorum, herbarum, arborum, animalium multorum generum; cum aqua solis piscibus abundet: aer et ignis egena ac pene vacua sint elementa. Sed his omissis, orbis terræ tria quædam habet consideratione dignissima, per quæ ad Deum, si mens vigelet, non difficile ascendere possumus.

Primum terra fundamentum est firmissimum mundi totius, quod nisi haberemus, non posset homo, neque ambulare, neque quiescere, neque operari, nec vitam ullo modo ducere. *Firmauit*, inquit David, *orbem terræ, qui non commovebitur, et: Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi*. Deinde terra quasi bona nutritrix hominum, et animantium cæterorum, assidue producit herbas, fruges, fructus, gramina, poma, et alia id genus innumerabilia. Sic enim Deus loquitur: *Eccc dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semetipsis venem generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terræ* (4). Tertio producit terra lapides et ligna ad edificandas domos, et metalla æris et ferri in varios usus, et aurum atque argentum, quibus cundantur pecunie, instrumenta videlicet ad vitam humana omnia necessaria facilitate comparanda.

Ac prima quidem illa terræ proprietas, quod videlicet sit locus, in quo corpora nostra quiescant, cum in aqua, vel aere, vel igne quiescere nequeant; symbolum conditoris est, in quo solo anima humana locum quietis invenire potest. « Fecisti, inquit S. Augustinus, nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » Salomon rex, si quis alius quæsitit requiem in imperio, in divitiis, in voluptatibus, obtinuit regnum amplissimum, et pacatissimum; ita ut Scriptura teste, *Haberet in ditone sua omnia regna a flumine terræ Philistiim usque ad terminos Ægypti, offerentium sibi munera, et servientium ei omnibus diebus vite ejus* (5). Habuit præterea divitias incomparabiles, ita ut aletet quadraginta milia præsepia equorum curtilium, et duodecim milia equestrium, et, ut legimus eodem libro, classis Salomon-

(1) Ecol. IX, 9. — (2) Sap. XIII, 2. — (3) Psal. XCI, 3; II Cor. V, 8. — (4) II Cor. V, 9.

(1) Psal. CXIV, 9; Jac. III, 2. — (2) Gal. I, 10. — (3) Psal. LXIII, 16. — (4) Psal. XLII, 1; Id. CIII, 5; Gen. I, 2. — (5) III Reg. IV, 21.

nis ex Ophir afferebat aurum et gemmas pretiosas in tanta copia, ut argentum nihili fieret; et tanta esset argenti copia in Hierusalem, quanta lapidum platearum. Voluptates autem tantas sibi ipse paravit, ut incredibile videatur; nam cum mulieres adamaret, accepit sibi uxores, quasi reginas septingentas, et concubinas trecentas: ut legitur in eodem libro. Sed ipsum de se loquentem audiamus: *Sed ipsum de se loquentem audiamus: Magnificavi, inquit, opera mea, edificavi mihi domos, et plantavi vineas, feci horrea, et pomaria, et conserui ea cuncti generis arboribus, et extruxi mihi piscinas aquarum, et irrigarem sylvam lignorum germinantium, possedi servos, et ancillas, multaque familiam habui, armenta quoque, et magnos ovium greges ultra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem, coceravi mihi argentum, et aurum, et substantias regum, ac provinciarum, feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos, et ureos in ministerio ad vina fundenda, et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem. Et sapientia quoque perseveravit mecum, et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quæ preparaveram, et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Hæc ille, qui certe quietem maximam habuit, si ulla in rebus creatis haberi potest. Nihil enim illi defuit, non regnum, non divitiarum, non delicia, non ipsa quæ maximi fieri videtur humana sapientia, non denique pax, et tranquillitas in tantis bonis longo tempore possidendis et retinendis.*

Interrogemus nunc, an in tantis rebus quietem inveniit, et ista capacitatem animæ implere potuerint. *Cum, inquit, me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores, quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole (1).* Non ergo quietem invenit Salomon in tantis divitiis, et deliciis, et sapientia, et honoribus: nec invenire potuisset, etiamsi multo plura et majora fuissent; quoniam animus humanus immortalis est, ista vero mortalia sunt, nec possunt diu permanere sub sole; nec fieri potest, ut animus capax infiniti boni, satiatur bonis finitis. Quomodo igitur non potest corpus humanum in aere, quantumvis latissimo, nec in aquis, quamvis

profundissimis requiescere, quia centrum ejus terra est, non aer, vel aqua: sic animus humanus nunquam requiescet in aereis dignitatibus, vel luteis divitiis, vel aqueis, id est, mollibus et sordidis voluptatibus, nec in humana scientiâ falso splendore, sed in solo Deo, qui centrum animorum, et verus ac solus locus quietis eorum est. O quam vere, et quam sapienter exclamavit pater Salomonis, cum ait: *Quid est mihi in cælo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum (2),* ac si dicere voluisset: Nihil invenio nec in cælo, nec in terra: nec in alia re creata ulla, quæ sub cælo, aut super terram sit, quod mihi veram quietem possit afferre. Tu solus Deus cordis mei, id est, tu solus petra solida es cordi meo, vox enim, Deus, in Hebraico textu petram significat hoc loco: tu ergo solus petra firmissima es cordi meo, in te uno quiescam, tu solus pars mea, hæreditas mea, omne bonum meum, cætera nihil sunt, et nihil ad me replendum et satiandum valeat, atque hoc, non per unum, vel alterum diem, vel annum, sed in æternum, tu unus mihi sufficis in æternum, cætera nec ad unum diem sufficerent universa.

Agnoscis ne adhuc, anima mea, solum Deum esse petram tuam, in qua requiescat, cætera vanitatem, et afflictionem spiritus, quæ non existentia, sed apparentia sint, et non solentur, sed affligant, quoniam acquiruntur cum labore, possidentur cum timore, et amittuntur cum dolore? Despice ergo, si sapias, omnia quæ transeunt, ne te secum abripiant, et in uno permant, illic in hære vinculo charitatis, qui manet in æternum: leva cor tuum ad Deum in cælum, ne putrescat in terra: discite veram sapientiam, a multorum stultitia, quorum nomine loquitur Sapiens, et dicit: *Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiæ lumen non luxit nobis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis, quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt illa omnia tanquam umbra, et nos in malignitate nostra constanter sumus (3).*

Sed est etiam alia ratione petra firmissima symbolum Domini Dei nostri, quod symbolum explicavit nobis sapientia Dei in Evangelio suo, ubi dixit, domum edificatam super firmam petram immobilem permanere,

si desuper descendant pluvia, et a latere irruant venti, et a parte inferiori percutiant flumina: domum vero edificatam super arenam, nihil horum sustinere posse, sed ad primum impetum pluvie, aut venti, aut fluminis prosterni, et fieri ruinam domus illius magnam.

Domicilium tuum, o anima, quod ex variis potentiis, et virtutibus quasi cubiculis, et aulis constat, si in Deo, tamquam in petra fundetur, id est, si firmissime credas Deo, si tota fiducia tua sit in Deo, si sit in charitate Dei radicata, et fundata, ut cum Apostolo dicere possis: *Quis nos separabit a charitate Christi (1)?* securâ esto, quia neque spirituales nequitie, quæ supra nos sunt, neque carnales concupiscentiæ, quæ infra nos, neque domestici hostes nostri, qui a latere nos oppugnant, cognati videlicet, et amici, contra te unquam suis machinis prævalebunt. Magnæ quidem sunt vires, et magna callidas spiritualium potestatum, sed major est potestas, et major sapientia Spiritus sancti, qui præsidet illi domui, quæ in Deo fundata est. Vehementer omnino contra spiritum pugnat caro, et carnales concupiscentiæ fortissimos quoque debellare solent: sed amor Dei amorem carnis facile superat, et timor Dei timorem mundi facile prosternit; denique inimici hominis, domestici ejus, et ipsi quoque perversi consilii ad consortium peccatorum animas trahunt: sed anima, quæ Dominum et patrem, et fratrem, et sponsum in cælo se habere confidit, non magno labore carnales amicos, et consanguineos non solum contemnere, sed etiam odisse novit, et potest dicere cum Apostolo: *Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit me separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro (2).* Sed illa vere misera anima est, cujus domus in arena fundata non potest diu subsistere, et fiet brevi ruina illius magna, quippe cum credat mendacior, et confidat in baculo arundineo, et ejus Deus, aut venter, aut pecunia, aut fumus honoris sit, quæ omnia velocissime transeunt, et pereunt, et animam illius in herbentem in exitium sempiternum trahunt.

Jam vero altera terræ proprietatis in eo posita est, quod terra tamquam bona nutrix herbas et fructus cæteros large profundat in escam hominum, et animantium cæterorum.

Atqui hæc ipsa proprietatis ad conditorem, ut verum nutrimentum, nos deducit; non enim terra, sed Deus in terra omnia bona producit, sic enim loquitur Spiritus sanctus per os David: *Qui producit in montibus fenum, et herban servituti hominum, et rursus: Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Et Dominus in Evangelio: Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester celestis pascit illa. Et Apostolus: Et quidem non sine testimonio semetipsum Deus reliquit benefaciens de cælo, dans pluviam, et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra. Nec tamen falsum est, quod initio libri Genesis dicitur: *Germinet terra herbam vientem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum. Vere enim terra germinat herbas et ligna pomifera: sed ex virtute quam ei Deus attribuit, et ipso Deo per ipsam producente, et conservante, et incrementum dante. Itaque David ubi res omnes creatas invitat ad laudem conditoris, addit cum cæteris, ligna fructifera, et omnes cedros, et tres pueri apud Danielelem, exhortantur cum cæteris creatoris, omnia germinantia in terra, ut benedicant Dominum, et laudent, et superexaltent eum in sæcula.**

Et cum omnia suo modo Deum laudent, quanto affectu deberes tu anima, Deum pro his omnibus beneficiis, quibus assidue frueris, benedicere, et laudare? agnoscentis in eis occultam Dei manum omnia largientem, et non occultam, sed clarissime patentem, et sese ostendentem paternum et purissimum Dei tui amorem, qui nunquam cessat tibi de cælo benefacere, et in rebus omnibus providere. Sed parum est hoc in oculis Domini Dei tui. Ipse est enim, qui in te ut in spirituali agro suo, producit germen nobilissimum charitatis, charitas enim non ex mundo, sed ex Deo est, ut dilectissimus discipulus loquitur in epistola sua. Ex charitate autem, ut ex arbore divina, atque celesti prodeunt flores candidissimi, et odorati cogitationum sanctorum, folia virentia verborum utilium ad salutem gentium, et fructus operum honorum, quibus Deus glorificatur, et proximi adjuvantur, et merita colliguntur, et servantur in vitam æternam.

Væ autem illis, qui more jumentorum in-

(1) Eccl. II, 11. — (2) Psalm. LXXII, 25. — (3) Sap. V, 6.

(1) Rom. VIII, 38. — (2) Rom. VIII, 38.

sipientium fructibus terre satiari desiderant, eosque avidissime colligunt, et recondunt, et de auctore non cogitant, neque illi gratias agunt : et quorum animæ similes sunt terræ, cui maledixit Deus, quæ spinas et tribulos germinat, quid enim cogitant illi, in quibus Deus non seminat casta consilia, nisi fornicationes, adulteria, homicidia, sacrilegia, furta, proditiões, et alia id genus? et quid isti loquuntur nisi blasphemias, perjuriam, maledicta, hæreses, convicia, contumelias, falsa testimonia, mendacia, et alia id genus, quæ a patre suo Diabolo didicerunt? Et quos postremo fructus producent, nisi venenosos illos fructus, quos ab ipsis cogitari assidue diximus, et qui ab Apostolo opera carnis nominantur? Istæ nimirum spinæ sunt, quæ primo pungunt animos germinantium eas, punctioibus amarissimis timorum, et sollicitudinum : deinde pungunt famam, et corpora, et animos proximorum læsione gravissima, et sæpe irreparabili, ex qua postea plurima et gravissima ad alios detrimenta perveniunt.

Sed his omissis, tu anima mea, si hortulus es cœlestis agricola, cave ne spinæ, vel tribuli unquam inveniantur in te, sed omni sollicitudine fove arborem charitatis, et lilia castitatis, et nardum humilitatis, cave ne unquam tibi subrepat, ut a te esse existimes cœlestia ista germina virtutum, et non a Domino Deo tuo, qui est Dominus virtutum, seminatos casti consilii, sed et conservationem, et incrementum, et maturitatem fructuum honorum operum, non tibi attribuas, sed illi commenda, et ad illum sis semper fortitudo tua.

Restat ultima terræ laus, quod videlicet aurum, et argentum, et lapides pretiosos intra sinum suum contineat. Sed certe non virtute sua producit terra tam pretiosas rerum species, sed illo, qui per Aggræum dicit : *Meum est aurum, et meum est argentum.* O amator hominum, itane hoc etiam placuit dulcedini tue, ut non solum produceres humano generi lapides, et ligna, et ferrum, et æs, et plumbum, et alia id genus necessaria ad domos et naves ædificandas, et instrumenta varia construenda : sed etiam aurum, et argentum, et lapides pretiosos ad ornatum, et decorem? Et si hæc tribus peregrinantibus in terra, et sæpe etiam inimicis tuis blasphemantibus nomen tuum, quid dabis dilectis tuis, te benedicientibus, et tecum regnantibus in cœlo? Dabis utique non frustula auri, vel argenti, nec pauculas gemmas pre-

tiosas, sed civitatem illam de qua loquitur Joannes Apostolus in Apocalypsi, cum ait : *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide, ipsa vero civitas aurum mundum, et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata, et duodecim porta duodecim margarite sunt.* Nec vero existimamus, civitatem illam supernam Hierusalem, cœlestem, ex auro et gemmis, et margaritis, quales hic sunt, constructam esse, vel ornata; scimus enim Spiritum sanctum his vocibus uti, quoniam ad nos loquitur, qui meliora, vel majora non vidimus; sed sine dubitatione ulla multo excellentior erit civitas illa, quæ est patria electorum Dei, in omnibus civitatibus peregrinationis hujus, quanto civitas aurea et gemmata præstaret omnibus rusticorum pagis, qui ex luto et paleis constant.

Erige ergo, anima mea, oculos mentis ad cœlum, et cogita quanti sint faciendi bona, quæ illic sunt, cum species auri, et argenti, et lapidum pretiosorum, quæ hic tantum sunt, illis bonis comparatæ, vix luti et palearum nomine censeantur. Addo, quod aurum, et argentum, et margaritæ, quæ hic habentur in pretio, corruptibilia sunt, quæ autem in patria, incorruptibilia et sempiterna sunt. Sed si per manus pauperum hoc ipsum corruptibile aurum et argentum, quod hic habes, ad cœlestem civitatem transferre volueris, quod utique, si sapias, omnino facies, et ipsum incorruptibile fiet, et tibi manebit in æternum. Non enim mentiri potest Veritas, quæ dicit : *Vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et alio loco : Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam; facite vobis sacculus, qui non veterascunt, thesaurum non deficietem in cœlo, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit.* O incredulitas filiorum hominum! promittit homo mendax decem pro centum, et sortem integram mutandi se representaturum, et creditur ei, promittit, qui mentiri non potest Deus, danti eleemosynam thesaurum in cœlo, imo etiam centum pro uno, et vitam æternam se redditurum, et trepidat avarus homo, nec facile adduci potest, ut credat, et mavult thesaurum suum abscondere, ubi ærugo consumit, et fures effodiunt, et furantur, quam in cœlo reponere, quo fur non appropriat, neque ærugo consumit. Sed etiam si aliquando neque fures auferant, neque tinea, vel ærugo corrumpat, quæ tanto labore parasti, et conservasti, o homo infelix, cujus erunt?

## GRADUS QUARTUS.

*Ex consideratione aquarum, ac præcipue fontium.*

Secundum locum inter elementa mundi tenet aqua. Ex ea quoque si recte inspicatur, gradus ascensionis in Deum construi poterit. Ac primum aquam univèrse considerabimus : deinde specialem ascensionem in Deum e fontibus hauriemus.

Aqua humida est, et frigida, ac per hoc quinque veluti proprietates habet, nam lavat et abstergit maculas : extinguit ignem : refrigerat ac temperat ardorem sitis : conjungit res multas ac diversas in unum : denique quam profunde descendit, tam alte ascendit. Hæc omnia manifesta sunt symbola, sive vestigia conditoris rerum omnium Dei. Lavat aqua maculas corporales ; lavat Deus maculas spirituales. *Lavabis me*, inquit David, *et super nivem dealbabor.* Quamvis enim maculas cordis, id est, peccata, lavet contritio, lavent Sacramenta, lavent Sacerdotes, lavent eleemosynæ, atque alia opera pietatis : tamen hæc omnia vel instrumenta sunt, vel dispositiones, qui lotionis hujus auctor est, solus Deus est. *Ego sum*, inquit Deus per Isaiam, *ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et ideo Pharisei, qui murmurantes adversus Christum dicebant : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* non fallebantur in eo, quod soli Deo tribuebant potestatem supremam dimittendi peccata : sed in eo, quod Christum, Deum non esse credebant, proinde simul et blasphemabant, et vera dicebant.

Nec solum Deus lavat maculas cordis ad similitudinem aquæ, sed etiam aqua nominari voluit, sic enim scribit S. Joannes : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus, ergo Spiritus sanctus, qui utique Deus est, aqua viva est, et de hac aqua dicit Ezechiel : Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et quoniam aqua ista cœlestis, et increata longe superat virtutem aquæ terrestris et creatæ : ideo tres differentias annotare placet inter lotionem aquæ creatæ, et increatæ.

Aqua creata lavat maculas corporum, sed

tua certe non erunt, cujus tamen esse poterant, si per manus pauperum in cœlestes thesauros transtulisses. Usus quidem docet, ea quæ avari divites collegerunt, ad heredes prodigos pervenire, qui multo breviori tempore profundunt, quam avari parentes collegerant, atque interim peccatum avaritiæ manet, æternumque manebit, et vermis conscientie non morietur, et ignis inferni non extinguetur.

Ergo, anima mea, aliorum insipientia te erudiat, et audi Dominum et Magistrum tuum concionantem : *Videte, et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quæ possidet.* Avarus congregat, et conservat, ut habeat, unde diu vivat, sed contra accidit : nam quando minus cogitat moritur, et substantia avaræ congregata et conservata generat vermem, qui non morietur, et excitat ignem, qui non extinguetur. O avaræ infelix, ergone tam sollicitè aggregasti pecunias, ut fomentum parares igni gehennæ, quo nunquam extinguetur. Audi B. Jacobum in extrema epistola sua : *Agite*, inquit, *nunc divites, plorate ululantes in miseris vestris, quæ adventent vobis, divitiæ vestræ putrefactæ sunt ; et vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras, sicut ignis.* Vos quidem, inquit B. Jacobus, quia divites estis, beati existimamini, et dicimini, sed revera miseri estis, et egenis omnibus miseriore, et materiam magnam habetis lugendi, et ululandi propter ingentes miseras, quæ certe advenient vobis, divitiæ enim supervacaneæ, quas conservastis, et quas putrefieri sinistis, cum eas pauperibus erogare deberetis, et vestimenta vestra, quæ superflua possidetis, et potius a tineis comedi, quam pauperes inde vestiri patimini, et aurum et argentum, quod ab æruginè consumi vultis potius, quam illud in cibos pauperum erogetis ; hæc, inquam, omnia contra vos in die judicii testimonium dicent, et tineæ ac ærugo divitiarum vestrarum in ignem urentem convertentur, qui æterno tempore carnes vestras devorabit, et nunquam consumet, ut ignis non extinguetur, et dolor non finiat. Ergo cum Propheta regio concludamus : *Beatum dixerunt (stulti) populum cui hæc sunt, divitiæ videlicet exuberantes : re autem vera, Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*